

rio omissionis secundum se, et excludit actum ab illo, tamquam pertinentem ad constitutionem illius voluntarii omitteris. Et sic est sensus: voluntarium potest esse absque omni actu, tam exteriori, quam interiori, id est, potest constitui ratio voluntarii aliquando, sine hoc quod actu aliquo constituatur in esse, et ratione voluntarii, scilicet quando voluntarium est omissivum. Et ad hoc ipsum concordat id, quod dicit infra quæstione LXXI citata, quod si consideretur id, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic aliquando est omissio absque omni actu, tam interiori, quam exteriori. Ubi illa particula: Si consideretur id quod per se pertinet, explicat se loqui de eo, quod constituit rationem voluntarii quoad specificationem, et glossat id, quod dixerat in hac quæstione sexta, quod potest esse voluntarium absque omni actu, intelligitur enim cum limitatione posita in quæstione LXXI, si consideretur quod per se pertinet ad rationem peccati, eadem enim ratio est de peccato, et de voluntario.

XX. At vero quando S. Thomas dicit in eo loco quæstione LXXI, quod non potest esse omissio absque aliquo actu, loquitur de omissione in individuo, et de exercitio omittendi, ut tenet se, parte operantis, sic enim exerceri non potest, nisi detur aliquis actus, qui vel ipsam omissionem respiciat volendo illam, vel in aliud objectum tendat, et sic sit causa, vel occasio relinquendi, seu omittendi istud. Sicut si diceremus, quod corruptio de suo conceptu formali, et intrinseco non dicit actionem; tamen non potest exerceri in re sine actione positiva, quia omnis corruptio est annexa alicui generationi, et introductioni formæ, quod fit per actionem positivam: sic voluntas si omittit aliquem actum, et cessat ab illo, ideo est quia occupa-

tur circa aliud, verbi gratia, si omittit missam, est quia circa ludum, vel studium occupatur, aut circa aliud objectum, quia ut dictum est voluntas nunquam se suspendit ab omni actu, sed si relinquit unum, est quia accipit aliud.

XXI. Sic ergo cognito sensu D. Thomæ facile probatur conclusio, quoad primam partem, scilicet, quod ex suo genere, et intrinseco conceptu omissio non includat actum. Probatur, quia intrinseca, et propria ratio omissionis voluntariæ est privatio, et cessatio actus voluntarii (de hoc enim loquimur in præsentia, non de actu naturali, vel cessatione illius) ergo adhuc in genere voluntarii intrinseca, et propria ratio omissionis non includit aliquem actum, sed cessationem, seu privationem illius, quia est non facere, et non habere actum: sicut cæcitas intrinseca in sua propria ratione, non constituitur aliquo positivo, etiam in genere vitali, quia in isto genere est privatio potentiæ, opponiturque illi privative, quia est carentia visus: sicut autem cæcitas est privatio potentiæ, ita omissio est privatio actus, opponiturque illi privative, qui est non facere, et non habere actum: ergo ingreditur in illa aliquid positivum, tamquam constituens: sed sicut cæcitas causatur, et resultat ex aliqua positiva actione alterante, et removere dispositionem requisitam ad visum, ita etiam omissio causatur ex aliquo concomitante, vel occasionante ipsam omissionem, ut in exercitio ponatur.

XXII. Dices: Privatio, et omissio physica ipsius actus voluntarii excludit a se omnem actum; tamen omissio moralis, seu voluntaria necessario includit actum, quia non potest dici voluntaria ratione ejus, quod tollit, scilicet, quia removet actum voluntarium, sed quia a vo-

luntate est, et ab illa procedit, voluntaria dicitur. Et ita licet probeatur, quod ad tollendum voluntarium non requirit actum, tamen ut sit voluntaria, actum requirit. Sicut etiam in peccato, carentia gratiæ, et carentia rectitudinis, ut carentia physica est, nihil de positivo includit: ut autem privatio moralis, et voluntaria est, includit positivum respectum, tum ad voluntatem, a qua est, tum ad finem, et objectum circa quod est.

XXIII. Sed contra, quia omissio non solum respectu actus, quem tollit, et quo privata tamquam opposito, sed etiam respectu voluntatis, a qua est, comparatur non per aliquid positivum, sed per privativum, nempe per non facere; nec enim omissio dicitur a voluntate procedere, et voluntaria esse, quia per positivam egressionem procedit a voluntate, sed potius quia non procedit: voluntas enim ex sua libertate potestatem habet faciendi actum, vel non faciendi seu cessandi ab illo: et tale non facere etiam a voluntate est non positive, sed negative, si quidem a potestate voluntatis non solum est ipsum facere, sed etiam non facere, et prout a voluntate est, etiam est negatio, non autem positiva egressio, si quidem voluntas in hoc quod est facere, vel non facere, habet exercitium, et potestatem contradictionis, et non solum contrarietatis; ergo ista extrema, scilicet facere, et non facere, etiam prout sunt a voluntate, opponuntur contradictorie; ergo ly non facere, etiam prout sic nihil positivum includit, si quidem opponitur contradictorie illi positivo, quod est facere; ergo etiam omissio in quantum voluntaria, ex sua intrinseca ratione nihil positivum includit, quia in quantum voluntaria nihil amplius includit, quam ipsum non facere, ut a voluntate est, seu quæ est extremum contradictionis,

in quod potest ipsa voluntas, non per positivam egressionem, sed per cessationem, seu per non facere. Exemplum autem adductum de privatione gratiæ, vel rectitudinis in peccato non quadrat, quia illa privatio non consistit in ipso non facere prout est extremum libertatis contradictionis, sed consistit in carentia conformitatis ad legem, vel in ipsa expulsionem gratiæ in facto esse. Talis autem carentia convenit, non solum omissioni, sed etiam peccato commissionis, resultatque ex aliquo ordine, et conversione ad finem oppositum, ideoque in quantum moralis requirit, vel fundatur in aliquo positivo ordine ad finem morale. Ipsa autem omissio, ut sit voluntaria, non requirit aliquid positivum, sed sufficit illi ipsum non facere prout est extremum libertatis contradictionis, quia voluntas potest facere, et non facere.

XXIV. Secunda pars conclusionis probatur ex supradictis, quia stante advertentia intellectus potest voluntas omne exercitium actus collective suspendere, ergo si omittit voluntarie, et libere in aliquo actu se exercet; ergo vel concomitanter, vel antecedenter in omni exercitio omissionis, requiritur aliquis actus non propter vim ipsius omissionis, sed propter vim ipsius voluntatis, quæ non potest libere in exercitio se suspendere ab omni actu collective, et omnino non facere, nisi ut consequentem ex aliquo facere: alias esset non facere pure negativum, non autem liberum, et voluntarie habitum, sicut requiritur ad potentiam vitaliter, et libere se exercentem; et sic non facere dicitur esse a voluntate, seu esse voluntaria consecutive, et mediate, sicut corruptio dicitur esse a generante mediate, id est, mediante generatione, licet in suo intrinseco conceptu, nec corruptio, nec omissio, nec aliqua alia privatio aliquid

positivum includant, licet exerceri, vel resultare in re non possint, nisi mediante aliquo positivo, a quo causentur, vel fundentur, vel resultent. Et ita hæc doctrina est generalis de omni privatione considerata ex specie sua tantum, vel in exercitio, et causatione, aut resultantia sua.

XXV. Objicies: Etiam si voluntas possit se suspendere ab omni actu collective, adhuc posset dari omissio voluntaria: ergo frustra requiritur de necessitate aliquis actus concomitans, vel causans omissionem, ut voluntaria sit in exercitio. Antecedens probatur, quia ut aliqua omissio sit voluntaria, imo ut sit imputabilis ad peccatum, sufficit quod aliquis possit, et teneatur, et non faciat, ut communiter docent theologi cum D. Thoma in hoc articulo tertio. Ponamus ergo casum, quod Deus alicui ponat præceptum affirmativum operandi aliquid, et hoc advertat intellectus, et proponat ipsi voluntati, voluntas autem pro sua potestate, et libertate suspendat omnem actum, cum tamen posset operari, si vellet, tunc illa voluntas potest, quia habet potestatem operandi; et tenetur, quia est illi positum præceptum, et manifestum per intellectum: et non facit, quia omittit omnem actum; ergo peccat in exercitio; ergo illa omissio est voluntaria in exercitio, etiam sine omni actu, etiam concomitante vel causante.

XXVI. Respondetur, illud axioma: Qui potest, et tenetur, et non facit, peccat. intelligi de illo, qui potest, et non facit privative, et libere, non pure negative: et similiter de eo, qui potest proxime, et expedite, non remote tantum, et impedit: quia ut supra diximus, omissio ut sit voluntaria decet causari, et procedere ab ipsa voluntate, non ex aliquo impedimento extrinseco causari, voluntas autem non causat omissionem

modo proprio ipsius voluntatis, id est, libere, et vitaliter, si ab omni actu suspendatur, et habeat se potentia sicut mortua, et cum sola illa negatione, quam de se habet ipsa nuda potentia voluntatis. Unde si daretur suspensio omnium actuum collective, talis non suspenderet se voluntarie, nec ejus voluntas mutaretur ab intrinseco, quia nec determinatur circa aliquid, nec amplius habet, quam ipsa nuda potentia secundum se, hæc enim etiam prout sic omni actu caret. Quare si datur talis suspensio pure negativa, id erit ex aliquo impedimento, ratione cujus potius voluntas patitur suspensionem, quam causat: nec est sicut ille, qui voluntarie est otiosus, aut dormit, aut cogitationem divertit, quia talis voluntario actu vult dormire, aut otari, aut divertere, sed habet se illa suspensio, sicut ipsa nuda potentia ante omnem actum, vel sicut patiens suspensionem, unde quando dicitur, quod voluntas est potestas ad velle et non velle, ly non velle, non debet sumi pure negative, et pro eo quod est pati negationem volendi, aut suspensionem actus, sed debet sumi privative, prout illa suspensio causatur a voluntate, possetque non habere illam: voluntas autem non causat illam cessationem alicujus actus nisi habeat aliquem actum circa aliquod objectum, ratione cujus omittat, vel suspendat alium actum.

XXVII. Sic ergo, aliud est pati suspensionem, aliud habere, seu causare voluntarie suspensionem. Qui patitur suspensionem, non habet hoc, nisi ex aliquo impedimento, aut quia Deus tollit concursum, aut quia intellectus non præbet suum, non proponendo voluntati objectum. At vero causare ipsam suspensionem voluntas non potest, nisi mediate, et ex consequenti, quatenus voluntas occupata circa unum relinquit, seu

omittit aliud, sicut nulla causa agit ad corruptionem immediate, sed mediante aliqua generatione, ex qua consequitur corruptio alterius. Si vero voluntas circa nihil occupatur, sed ab omni actu collective suspenditur, non potest dici, quod voluntarie causat voluntas talem suspensionem, sed solum quod illam patitur, et sic manet illa potentia impedita. Et ideo dicimus, quod ille, qui proposito objecto, ab omni actu collective suspenditur, dicitur non facere, seu omittere non privative, sed negative, nec dicitur posse facere proxime, et expedite, sed patitur ne faciat, et sic non omittit voluntarie.

XXVIII. Aliæ objectiones possent fieri contra resolutionem traditam ostendendo, quod voluntas potest ab omni actu collective se suspendere ob suam libertatem. Sed istæ solvi possunt ex secundo notabili supra posito, et si quid difficultatis restaverit, infra quæst. LXXI, art. v decidetur, præsertim circa rationem meriti, et honestatis in omissione, et rationem libertatis, et motivi, quo potest fieri, et de actu concomitante, quomodo possit ab omissione prava vitari, et non vitari.

#### RESOLUTIO SECUNDI DUBII.

XXIX. Circa secundum dubium supra positum, scilicet, an requiratur obligatio, seu præceptum, ut dicatur aliqua omissio indirecte voluntaria, est etiam duplex sententia. Aliqui enim dicunt, quod requiritur obligatio, seu præceptum, ut dicatur aliquis voluntarie omittere aliquid, eo quod sine obligatione, seu præcepto non pertinet talis res ad omittentem; si autem ad ipsum non pertinet, non est illi voluntarium, nec imputatur illi, etiam si rem illam consideret. Quo-

modo enim mihi potest esse voluntarium, et multo minus imputari omissio multarum rerum, quæ fiunt in toto mundo, quarum gubernatio mihi non est commissa, nec res illæ ad me pertinent, quantumcumque illas considerem. Et Deo non sunt voluntaria peccata nostra, etiam si permittat illa, et consideret, quia non obligatur illa impedire; requiritur ergo obligatio, ut voluntaria sit omissio. Quam sententiam sequitur Cajetanus hic art. III, et infra q. XVIII, art. IX; Conradus, et Medina super hunc articulum; Lorca hic disp. II.

XXX. Alii dicunt præceptum nihil omnino conducere ad rationem voluntarii indirecti in omissione, eo quod præceptum est principium omnino extrinsecum actioni voluntariæ, vel ejus privationi, seu omissioni. Ratio autem voluntarii, sive directe, sive indirecte salvatur per hoc præceptum, quod sit a principio intrinseco cum cognitione finis. Et sic præceptum non influit in ipsam rationem voluntarii, licet requiratur ad imputabilitatem omissionis, quia ubi non est lex, nec prævaricatio: ut autem omissio voluntaria sit, sufficit illam consequi saltem mediate ex aliquo actu voluntatis, quia sic dicitur procedere a voluntate eo modo, quo negatio actus potest a voluntate procedere, scilicet consecutive, et mediate ad alium actum, unde si quis die ferali vult ludere, vel studere hora missæ, ex consequenti vult non audire missam, licet non sit in præcepto, quam sententiam sequitur Montesinos hic disp. IX, q. IV; Gregorius Martínez hic art. III, dubio I, qui citant Almainum, Angestum, Palacios, et alios ex antiquis, et ex recentioribus illam etiam sequuntur Salas, Valentia, et Vazquez super hunc locum D. Thomæ.

XXXI. Hæc secunda sententia ve-